



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput I. Adoratio interna & externa Deo debetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

SECTIO III.

DE

CULTU DEO DEBITO.

CAPUT I.

Adoratio interna & externa Deo debetur.

Adoratio actus Religionis est, quo nostram submissionem, & alterius excellentiam contestamur. Tres adorationis species Theologi distinguunt: Latriam, Hyperduliam, & Duliam. *Latria* est cultus ob infinitam excellentiam Deo tamquam primo principio, & ultimo nostro fini exhibitus. *Hyperdulia* est cultus Beatæ Mariæ Virgini ob singularem, quam inter Sanctos habet, Deiparæ dignitatem exhiberi solitus. *Dulia* est cultus, qui hominibus sanctis, qua specialibus Dei amicis, ac Spiritus sancti templis defertur. Tanta hos inter adorationis actus differentia est, ut hæretici eam potius nolint, quam non possint videre. Sola latria adoratio proprie dicitur, hancque communis Patres & Theologi intelligunt, dum adorationis nomen proferunt (a).

Soli

(a) Virtus, qua debitus Deo cultus exhibetur, *Religio* dicitur, quæ propterea inter morales præcipua est. Actus ejus prior *devotio* a sancto Thoma

Soli Deo debetur adoratio, quia ipse est primum esse, omniumque creaturarum auctor dominus, & conservator. Hoc hominibus aperte Deus ipse præcepit inquit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui (Deut. 6.)*. Quia huic præcepto Judæi non obtemperarunt, ideo tam gravibus supplicibus dilectum populum suum punivit, ut in captivitatem sæpius abduceretur, ut urbs sancta ab Assyriis & Babylonis destrueretur, ut Templum ipsum ignis absumeret.

Abolita hodie fere est Idololatria; & in remota solum aliqua Asiæ vel Americæ provincia divina dæmon obsequia sibi vendicat. Verum licet exterius ab hominibus Deus adoretur, pauci tamen illum corde adorant, ubi passionum suarum idola colunt. Avaritiam vocat Apostolus Paulus *idolorum servitutem (Ephes. 5.)*. Ubi autem non regnat avaritia? Ad sanctuarium usque pervenit, in quo mille perpetua scelera & scandala.

Ador

Thoma ponitur (2. 2. Q. 82. art. 1.) & ab eodem definitur, quod sit actus voluntatis prompte exequendi ea quæ ad Dei servitium, ac famulatum spectant. Ex hac pia voluntatis promptitudine alii adhuc actus, scilicet oratio, adoratio, sacrificium fluunt, & eo, quo oportet, modifi-  
sunt. vid. sanct. Thom. 2. 2. quæst. 82. art. 2.  
Devotio sancta meditatione gignitur & nutritur juxta illud: *In meditatione mea escardescet ignis (Psalm. 38.)*, ac tandem sanctum in fervorem excreseit, prout idem S. D. probat.

I. Adoratio interna & externa &c. 449

Adoratio Deo debita alia est exterior, interior alia, & dici quodammodo potest exterior, si interior absit, offendi Deum potius, quam honorari. Samaritanæ dixit Christus: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum* (Joan. 4.). Porro Deum in spiritu & veritate adorare, est illum adorare per Jesum Christum, & in spiritu fidei. Christus solus dignus est & capax Deum perfecte adorandi; neque ante ejus adventum Deus sic est adoratus, templum enim, quod Salomon ædificarat, eum continere non poterat, ut ipse fatetur, neque ullam habebat cum Dei excellentia, magnitudine, ac majestate proportionem; sicuti neque incensum, aut victimæ, quas super altare Sacerdotes offerebant. At mundum ingressus Jesus Christus Incarnationis suæ humiliatione, sui que in Cruce oblatione illum, sicut oportet, adoravit. Ab hac adoratione hominum adoratio meritum sumit. Hinc ut Deum adoremus, corporis Filii sui membra esse debemus; nec sine fide hujusce corporis membra esse possumus.

Fidei etiam spiritu Deum homines sicut oportet adorant, qualis nempe Deus est. Porro solus fidei spiritus Deum qualis est intuetur, ad perfectiones suas omnes suaque mysteria se extendens, sine limitatione ulla, quam quælibet lux alia patitur, quæ in hoc imperfecta est, & errare potest.

Jesus Christus christianæ adorationis ob-  
 jectum est, non modo verum & naturale, sed  
 si dicere fas est, pium & sensibile, in tribus  
 præcipue mysteriis, in ejus *Infantia*, in ejus  
*Passione*, & in sanctissima *Eucharistia*, in quibus  
 præsertim suum erga nos amorem & pietatem  
 declarat. Usque ad sæculi consummationem  
 in Eucharistia ille moratur, ut in ea ju-  
 ter Deum adoret, & ut ibi a fidelibus ipse ad-  
 oretur, tamquam eorum Deus atque Redem-  
 ptor.

Christianorum cultus non ita spiritualis esse  
 debet, ut non sit etiam exterior; videlicet præ-  
 ter spiritus adorationem, quæ fide & amore  
 perficitur, externi aliqui actus sunt exercendi,  
 veluti templorum veneratio, genuflexiones, alii-  
 que similes. Veteres Anachoretæ se prosterna-  
 bant, & prona in terram facie orabant. Innu-  
 meras pene in dies singulos genuflexiones Simeon  
 Stylita exercebat.

## CAPUT II.

*Orationis notio necessitas, ac conditiones.*

Oratio, prout eam post sanctum Damascenum  
 (*lib. 3. cap. 24.*) Theologi definiunt,  
 est decentium a Deo petitio. A Deo omniscio-  
 summe provide ac liberali nihil perendum esse  
 nonnulli hæretici existimarunt. Ast vana hæc  
 est objectio: Non enim (inquit sanctus Tho-  
 mas 2. 2. *Quæst. 83. art. 2. in corp.*) propter  
 hoc oramus, ut divinam dispositionem immute-  
 mus,